



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. A Elector absens Procuratorem constituere possit, qui suo nomine, & loco eligat, vel per litteras suum votum seu suffragium dare possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

lam 31. in 6. certiorari ulterius non debeat, qui certus jam est.

In casu tamen, quo aliqui di&o modo contempti fuerunt, electio quidem facta, casu quo duæ partes eorum, qui potuerunt, & voluerunt, electioni adfuerint, ac alia observata fuerint, velut de jure valida subsistit, quia duæ partes tales Collegij seu Universitatis, totius Collegij vicem exhibent juxta *Gloss. in l. nulli 3. V. dua partes FF. quod cuius. Univerf. nom.* possunt tamen contempti agere, etiamsi unicus tantum sit, ad rescindendam Superioris auctoritate electionem talem, se contemptis, peractam; ob injuriam scilicet illis factam, prout expressum habetur in *c. quod sicut 28. h. e. juncta Gloss. V. consentire*, quamvis electus ille confirmatus, imò consecratus jam esset, nisi post cognitam electionem, se contemptis, factam, ob bonum pacis, in eam postmodum consenserunt, & sic juri suo, & favori pro se introducto cesserunt. Imò si jus eligendi alicui competat, non tantum ratione Canoniciatus, quem habet, sed ratione Dignitatis, potest etiam successor in Dignitate de contemptu agere, ut tradit recepta *Gloss. V. consentire*, cum injuria, quæ illata est dignitati, non expiret cum eo, qui dignitatem habet *c. si gratiose §. de Rescript. in 6.* Quod si tamen Capitularis absens, & nunquam citatus, aliunde resciat diem electioni præfixum, probabile est, quod de contemptu agere non possit ad rescindendam electionem; neque enim scienti denunciatio faciendâ est juxta *Reg. 31. in 6.* si ea fieri tantum debeat, ad notitiam rei habendam, sicuti fieri debet in casu electionis.

*Compend. Pirhing.*

## §. IV.

*An Elector absens Procuratorem constituere possit, qui suo nomine, & loco eligat, vel per litteras suum votum seu suffragium dare possit.*

**R**esp. 1. Possit Procuratorem constituere, qui sit de gremio Capituli, si Capitularis absens quidem sit, sit tamen in loco, unde vocari debeat, tam tempore vocationis, quam tempore electionis, & justo impedimento detineatur, ob quod ad electionem venire non possit, de quo, si opus fuerit, sive si requiratur, fidem faciat juramento, uti Pontifex statuit in *c. quia propter 42. h. t. §. illud autem*. Quamvis enim ordinariè per Procuratorem quemcunque in aliis negotiis agere quis possit, speciale tamen hoc est in casu electionis, ubi videtur electa industria Personæ eligentis, & major cautela necessaria censetur; & hinc possunt quidem juramentum de impedimento legitimo Electores remittere, cum potissimum sit in favorem eorum introductum, & ob hanc etiam rationem extraneum admittere, ut procuratorio nomine loco absentis legitimi Capitularis eligere possit, requiritur tamen, ut omnes Capitulares præsentis unanimi consensu, & nemine contradicente, procuratori juramentum, aut probationem impedimenti remittant, aut extraneum admittant *argu. c. scriptum 40. h. t.*

Quod si verò absens ob legitimum impedimentum ab Electione, procuratorem constituere velit, potest vel unum tantum de gremio Capituli, vel plures etiam constituere, prout ipsi expressè conce-



conceditur, in relato *c. quia propter*. Ita tamen ut singulis in solidum committat potestatem suo loco eligendi, ut scilicet unus sine altero eligere possit, & uno impedito, aut recusante, alter vices suppleat, & inter hos detur locus preventioni, nisi ex mandato procuratorio ille admittendus videatur, qui priore loco nominatus est: qui duo quidem vota habebit, unum ex proprio nomine, tanquam Capitularis illius Ecclesie; alterum nomine procuratorio, illius scilicet nomine, cujus procuratorem agit; in casu tamen, quo cum mandato generali tantum constitutus est, non potest in scrutinio alium suo nomine, & alium illius nomine, cujus procuratorem agit, nominare, prout expressè statuit Pontifex in *c. si quis 46. h. t. in 6.* nisi de speciali Persona eligenda speciale mandatum habeat: sicut enim in casu generalis tantum mandati constituti Procuratoris industria relinquatur, quæ nam Persona digna videatur, ut eligatur, non possit autem idem ipse jam hunc, jam alterum dignotem altero iudicare, consequenter in casu talis generalis mandati ad eligendum, non potest alium suo nomine, alium procuratorio nomine nominare, sicuti potest in casu specialis mandati ad specialem personam procuratorio nomine nominandam.

*Resp. 2.* Casu quo nullus ex gremio in se suscipere velit procuratoris officium, in ordine ad eligendum, absentis nomine, neque Capitulum velit extraneum admittere, non potest absens Capitularis per litteras suum suffragium, & votum submittere, si accuratè servari debeat in tali electione forma scrutinij in relato *c.*

*quia propter præscripti, ut patet ex cit. c. si quis.* cum enim juxta *c. Quia propter*, non ante scrutinium, sed in hoc secreto, & sigillatim suffragia ferenda sint, consequenter nullam est suffragium, quod ante scrutinium scriptum est; nisi per conspirationem, & fraudem nullus procuratoris in se munus suscipere velit, quo in casu impeditus Capitularis, qui legitime procuratorem constituere vult, potest de injuriâ, & contempnu agere, ac petere rescissionem electionis argu. *c. cum dilectus, 32. h. t.*

## §. V.

*De expensis faciendis pro funere Prælati defuncti, & Electione Successoris.*

**P**RO exequijs & funere defuncti ordinarij, & moderati sumptus, pro famulis etiam, & officialibus defuncti &c. debent præstari ex redditibus Ecclesie vacantis, seu ad mensam Episcopalem spectantibus; & si hi non sufficiant, debet etiam Capitulum ex redditibus suæ mensæ, subsidium afferre, cum non tantum Ecclesie, sed ipsius etiam Capituli intersit, honorifica Prælati sepultura. Expensas autem in electionem successoris necessariò faciendas, Ecclesia vacans omnes subministrare debet, non tantum, quæ fieri debent in nuntijs mittendis ad convocandos absentes Capitulares, in Notarios, Jurisperitos necessarios &c. sed illa etiam, quæ fieri debent ad petendam confirmationem &c. *s. ut præterito 45. h. t.* Cum hæc omnia fiant principaliter in bonum Ecclesie. Quod si verò electio oppugnetur, quis

ex-